

Franckesche Stiftungen zu Halle

Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Euchariastia

Forbes, William

Helmstadii, A. MDCCIV.

VD18 11391456

Cap. IV. Quo ex plurimus virorum doctissimorum & moderatissimorum dictis,
quid de purgatorio Romanensium & orationibus pro mortuis ad illud relatis,
sentiendum sit, ostenditur.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598)

necessitate haud magnam theologi moderatio-
res licet movebunt contradicentibus. Videat-
tur doctissimus Desiderius Heraldus ad Arnobii
librum 4. ad verba : *Pax cunctis & venia postu-
latur, &c.* ubi multa praeclare hoc de ritu an-
notat, & Contr. Rittershusius, J. C. prudentis-
simus, in comment. ad Salviani massiliensis l. 2.
de Avaritia, ad verba : *Ut eorum memoria dignus
fiam.* Sententia autem de liberatione anima-
rum ex poenis purgatoriis per orationes & ob-
lationes pro illis factas, locum in Ecclesia non
habuit, neque etiam habere potuit, nisi circa
annum Christi quadringentesimum, ut supra
dictum.

CAP. IV.

*Quo ex plurimis virorum doctissimorum
& moderatissimorum dictis, quid de pur-
gatorio Romanensium, & orationibus
pro mortuis ad illud relatis, sen-
tiendum sit, ostenditur.*

Otto frisingensis, qui scripsit anno Dom.
1146. l. 8. Chron. c. 26. *Esse, inquit, apud
infernus locum purgatorium, in quo salvandi
vel tenebris tantum afficiantur, (Pag. 257.)
vel expiationis igne decoquantur, quidam asserunt.*
Vnde patet, purgatorii assertionem, privatam
tantum quorundam fuisse tunc temporis opi-
nionem, non autem communem Ecclesiae fi-
dem,

Bb 5

Graeci

Graeci in sua Apologia de Purgatorio igne a nobis jam antea saepius memorata: *Ignem purgatorium & punitionem per ignem temporarium finemque omnino habiturum*, nos a nostris doctoribus traditum non accepimus, neque orientalem Ecclesiam ita sentire, scimus. Porro Ecclesiae pro defunctis preces cum iis, quae ipsorum obitum antecesserunt, precibus conjunctas, aliquid praestare posse, hoc etiam prorsus statuimus, credentes iis, quae hac de re a Patribus sunt decreta. Et rursus: *Animas per ignem purgatorium transmissas, ad vitam aeternam pervenire, nequaquam statuimus; quod neque a quoquam doctorum hoc traditum accepimus, ac praeterea non exiguus metus nos incesit, ne temporarium atque purgatorium ignem statuentes, universum Ecclesiae consensum labefactemus. His igitur de causis nunquam in hunc usque diem tale quicquam statuimus, neque omnino statuemus.* Et in fine Apologiae: *Has ob causas nunc etiam propositum dogma de purgatorio igne exterminandum est ab Ecclesia, ut negligentiam sedulorum animis inducens, ac persuadens ipsis, ne omnibus viribus adnitantur, ut in hac vita se ipsi expurgent, cum alia post hanc vitam purgatio expectetur.* Fuit haec Apologia a Marco, metropolita Ephesi, conscripta, teste Sixto senensi lib. 6. Biblioth. S. annot. 259. & lecta ac data reverendissimis Patribus & dominis Deputatis Synodi basil. die sabbathi, 14. mensis Junii, anno 1438. in sacristia Fratrum Minorum, Basilcae praesentata Nicolao Cusano, teste Martino

rino Crusio in Turco-graecia, lib. 2, pag. 186, ex lib. MS. Johannis Capnionis.

Graeci quidem anno proxime sequenti 1439. qvo facilius a Latinis auxilia contra Turcas impetrarent, & quam celerrime in patriam redirent, in Synodo florentina Latinis concessere, si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint & omisis, eorum animas panis purgatorii post mortem purgari, & ut a poenis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, pag. 258.) Sed hoc, atque alia etiam, sinetorius orientalis Ecclesiae auctoritate fecere. Legantur ipsa Concilii florentini acta. Multum semper reclamavit Marcus ephesus & concilio durante, & post concilium in epistola encyclica contra Concilii illius definitionem: quam legere est apud Binium in Historia concilii florentini. Unionem autem hanc, Graecorum Ecclesiae nunquam sunt amplexae, teste Laonico chalcondyla de Rebus turcicis lib. 1. haud procul ab initio: Graeci reversi Byzantium, (a Synodo florentina) acta edocent eos, qui domi manserant: qui quidem noluerunt stare his, quae acta erant in Italiae synodis, putantes, sibi neutiquam fas esse, consensum praestare Romanis nefaria asserentibus. Hinc perpetuo discordiam fovisse Graecos in negotio religionis adversus Romanos, constat. Eandem Graecorum sententiam contra purgatorium Romanensium hodieque, ut & antea semper, innumerae aliae Christianorum in oriente,

ento,

ente, atque etiam alibi Ecclesiae, mordicus retinent & tuentur, ut omnibus eruditis constat.

Wesselus groningeris, a multis *lux mundi* appellatus, qui etiam Concilio basileensi interfuit, in Epistolis de purgatorio, * p. 906. *Hanc seriem ducatus animarum, a lumine lucernae praesentis exilii, quo pusilla sapientia fidei nostrae, sicut granum sinapis est, & velut parvum centrum, quod crescere oportet in illam caelestis globi immensitatem. Unum processum, & felix animarum incrementum usque ad orientem solem, purgationem puto. Et in hac purgatione non poenam, sed ad omnia valentem pietatem, & illam pietatem per se purgatricem. Habet nihilominus illa pietas, immo flagrans amor dilatus, languorem & poenam suam, habet etiam felicem consolationem. Consolatur praesentia pastoris & salvatoris. Verum quia doctor & evangelista est, missus a patre, docens amorem, quo ipse Patrem amavit & amat, & illum suum amorem imitari, inardescunt igitur illic amore. Sed quia nondum digne amant, adhuc differuntur, & adfligitur anima eorum. Haec afflictio non dolor est, sed moeror est secundum Deum, p. 907. Neque putat Augustinus, mox deposita carne omnes malos amores una depositos, omnemque simul charitatis imperfectionem transisse ad perfectum. (Pag. 259.) Estque in eandem sententiam Guilielmus parisiensis. cap. 100. primae partis: & id multis argumentis ad longum. Unde istos malos amores arbitror peccata illa, quae in futuro seculo remittentur, ut etiam illic, do-*

nes

* Pag. 906] Farraginis Wesseli p. 92.

nec perfectae justitiae sol eis oriatur, dicere non possint: sese peccatum non habere. Contrarium vero, per quem locum regulae fidei stabiliri possit, nondum video. Vnde valde miror communem doctorum scholae nostrae inadvertentiam, qui non veterina primaevae Ecclesiae auctoritate moventur, purgatorium ignem punitorio distinguendum. Gregor. nazianzenus purgatorium ignem dicit, quem dominus Jesus misit in terram, volens, ut arderet. Luc. 12. 49. Et istum, quia sordes rationales imperfectae sapientiae, imperfecti de Deo iudicii, & imperfectae justitiae purgare debet, rationabilem esse oportebit. Quod etiam Paulus innuit, quando dicit 1. Cor. 3. v. 13. ignem illum probaturum. Qui si probat, utique cognoscit, quale uniuscuiusque opus fuerit. Punitorium vero ignem dicit illum, quem praeparat diabolo & angelis ejus. Multum enim insolens & nova verborum licentia, ut purgare dicamus illum, qui nihil impurum aufert. p. 908. Vide reliqua apud autorem loco jam citato, & de Purgatorio p. 829. & aliquot seq. edit. Johannis Lydii, Amsterodami anno 167.

Georgius Wicelius Methodi concordiae ecclesiasticae cap. 8. tit. Funus: Neque errat neque peccat Ecclesia, pro filiis suis orans, sive in corpore, sive extra corpus illi sint. Praeterea non pontificium inventum est, orare pro mortuis; sicuti non novum est, oblationes & eleemosynas pro iisdem largiri. Revolvant partes apostolicorum virorum scripta, qui & ipsi spiritum Dei habuisse putandi sunt. Caeterum vetus contentio

tio

tio est de purgatorio igne. *At mea sententia melius ageretur cum rebus Ecclesiae, si vitam hanc ocysimam ita viveremus, ut non sit, cur metueremus a poëna. Qui potissimum de hoc disputant, fere ita vivunt, ut citius in gehennam, quam purgatorium sint involaturi; ab utraque futuri tuti, si cum scriptura & priscis Patribus pure sentientes, Christum viae vitaeque ducem recta sequerentur. Erat igitur cautius disputandum de eo, quod Deus in universum scire nos noluit. Nam ut maxime sint loci purgabiles, (sic enim loquitur Bernardus) qui excipiant corpore nudatas animas, non tamen decebat sapientes ac graves viros, tam certo omnia definire & metiri, quod scripturae Dei non satis expresse-
runt, nec antiquorum traditio exposuit. Neque enim nitendum est allegoritis Ambrosii & Gregorii, praesertim cum regula theologiae habeat: Allegoriam non probare. Pie creditur, locum esse, in quem deferantur, pro quorum peccatis orat ecclesia; sed ubi, qualis, quibus tormentis instructus, quo fine circumscriptus, nunquam fuit cognitum. Proinde ut in unum coalescant christianorum animi, temperent sibi Theologi ab immodica asseveratione & qualitatuum descriptione, Lutherani contra temperent sibi ab audaci & pertinaci negatione ac convitiis diritate. Recolat Lutherus verba sua: Ego credo, purgatorium esse, & consulo suadeoque credendum, sed neminem volo cogi. Haec ille. Vbi videantur plura. Idem in Via regia, artic. de Missa: Illud extra*

controversiam liquet, hoc sacrum eucharisticum olim in ecclesia Graecorum & Latinorum, ad sublevamen eorum, qui in fide decesserant, peractum fuisse; etiam id, quod arbitror, per preces vivorum, ac obsecrationes accidisse. Libellum hunc pro pacificatione ecclesiae universalis, jussu Ferdinandi I. & Maximiliani II. Romanorum Imperatorum immortalī laude dignorum, scripsit auctor hic anno 1564. G. Cassander in centuria prima Epistolarum selectiorum illustrium & clarorum virorum, &c. epist. 16. ad rever. & illustrem dominum Guilielmum, electum monasteriensem: *Vitium praecipuum in his* (romanae scilicet Ecclesiae precibus pro mortuis) *est, quod a multis ad purgatorium stabiliendum haec detorqueantur; quod hic totum in opinione est positum.* Item in Consultatione art. 12. de Pœnitentia: *Quod has temporarias pœnas, quibus peccati sordes in animo nondum perpurgato haerentes eluuntur, etiam ad futurum seculum Scholastici referunt, in eo gravissimos & antiquissimos auctores* (sed modum hic excedit Cassander: longe enim antiquiores auctores & assertores habet contraria sententia) *& longissimum Ecclesiae usum sequuntur; nihilque, quod merito passionis Christi, quo sola pœna aeterna & culpa condonatur, adversum sit, & impium merito damnari debeat, asserunt;* Pag. 261.) *quavis ab imperitis & supersticiosi hominibus, multa inepta & supersticiosa afficta & simplici populo persuasa sint, quae graviore concilio prudentiorum pastorum dissimulari, & paulatim in desuetu-*

suetu-

consuetudinem & oblivionem adduci debeant. Idem artic. de Missa: *Et quamvis de statu illo animarum, quibus haec (orationes scil. pro mortuis) prodesse, non satis constaret, nec inter omnes conveniret; omnes tamen hoc officium, ut testimonium charitatis erga defunctum, & ut professionem fidei de immortalitate animarum, & futura resurrectione Deo gratum, & ecclesiae utile esse judicarunt.*

Episcopi Ecclesiae anglicanae in pia & catholica christiani hominis institutione, edita sub Henrico II. anno 1544. in fine, de oratione pro mortuis: *Quandoquidem & charitas dicitur, & Machabeorum liber, ac veterum ecclesiae doctorum scripta confirmant, sanctum & salubre esse, orare pro mortuis, & quoniam hic mos in ecclesia ab antiquis, atque adeo ipsis Apostolorum temporibus duravit, proinde orationes pro defunctis Deo gratas, nequaquam irritas esse, existimandum est. Et certe palam est, christianae charitati consentaneum esse, ut proximos, seu vivos seu vita defunctos, precibus Deo commendemus, aliosque, ut ita nobiscum orent, invitemus, & juxta Ecclesiae consuetudinem, atque antiquorum Patrum sententiam, fratrum mortuorum memoriam in missarum celebratione & exequiis haberi, aut eleemosynas pro illis dari curemus. Haec enim ut illis, pro quibus fiunt, utilitatem & fructum adferre, sperandum est; ita nostram etiam in vita functos charitatem declarant. Quantum autem, aut quibus, aut quatenus hujusmodi preces nostrae valeant, aut quanto, quove temporis spatio a nobis subleventur, solus Deus novit;*

qui

qui etiam solus ejusmodi orationem, merita & fructus recte pro sua sapientia dispensat, & inaeſtimabili juſtitiae & miſericordiae ſuae libra trutinat: noſtrum vero eſt, arcana in abyſſo judiciorum Dei recondita q-mittere, & pietatis tantum officium & ſincerae orationis pro univerſis tum vivis tum mortuis praeflare. Porro quoniam de loco, ubi animae degant, de illius nomine, de illarum ſtatu & conditione incerti ſumus, propterea haec & caetera hujusmodi omnia Deo relinquenda ſunt, cujus miſericordiae aequum & congruum eſt eos a nobis commendari, cum hac ſpe & fiducia, quod Deus preces noſtras gratas acceptasque habiturus ſit. Pag. 262.) Quod ſuper eſt, Deo totum committamus, cui animarum ſtatus & conditio explorata eſt: nos vero nihil in alterutram partem temere definiamus in his rebus, adeo ab hominum cognitione remotis. Poſtremo neceſſarium admodum eſt, omnes ejusmodi abuſus, qui antehac per romani papatus aſſertores, & illius farinae homines, in Eccleſiam introduci ſunt, penitus abrogari; & proinde, ut abſtineatur a vocabulo purgatorii, nec amplius de eo diſputetur, ſub cujus fuco multa inania & indigna in Eccleſiam irreperunt, atque in pretio habita ſunt, ut indulgentiae illae romanae, quibus vulgus a peccatis & culpis ſtatim liberari credebat; & quod miſſae ſcalares aut certis locis decantatae animas expiarent, quodque certae & praefcriptae precatiunculae, aut illarum conſtitutus numerus, idque adeo ad certas ſtatuas prae aliis, animas liberarent. Nam ejusmodi ſomniis imperiti fidebant, Qui omnes

C c

ab-

abusus omnino abolendi & rejiciendi sunt. Haec illi. Qvos hoc singulari elogio ornat Lancelotus Andreas, episcopus nuper wintoniensis, in Respons. ad cardinal. Bellarmini Apologiam, cap. I. p. 23. inqviens: Viri fuere summi, eruditio- nis laude, quam late patet orbis christianus, notissimi.

Graeci Venetiis degentes, in Responsione ad quaestionem 9. Claudii cardinal. Guisani, scilicet, *Creduntne Graeci purgatorium quendam ignem esse, quo prius animae purgentur, quam in caelum perveniant? haec habent: Nequaquam post mortem restare purgatorium quendam ignem, credimus. Tentationes quidem illas, quas in hac vita experimur, quasi purgatorium quendam ignem esse statuimus. Nam ejusmodi tentationum diuturnitate, quae nos castigandi causa contingunt, homines interdum a peccatis expurgantur, quemadmodum in illo dicto significari vides: Per ignem & aquam transivimus, & eduxisti nos ad recreationem. Quod si esset ante judicium ejusmodi purgatorius animarum ignis a morte, nimirum universae animae infinita temporis diuturnitate sic perpurgarentur, ut judicii tempore nulla pœnis obnoxia reperiretur.*

pag. 263.) Ex quo porro consequeretur, a Christo frustra dictum: Hi quidem ad supplicium aeternum, justi vero ad vitam aeternam abibunt. Haec est orientalis Ecclesiae sententia, inqvunt, quam in hodiernum usque diem retinet. Et ad quaest. 10. Existimantne, (Graeci) post hanc vitam animas suppliciis quibusdam propterea purgari, quod in hac vita meritis pœnas non dederint? sic respon-

respondent : *Eorum hominum animae , quorum quasi media quaedam conditio est, qui scilicet mortiferis in peccatis diem extremum non clausurunt, nec tamen omnino expertes culpa fuerunt, poenitentiaeque fructus declararunt, creduntur a nostris ejusmodi delictorum ratione purgari, non per purgatorium aliquem ignem, vel determinata certo quodam loco supplicia, (nam id nunquam traditum extat) sed nonnullae in ipso diremtu a corpore per solum metum ; uti Gregorius ille, cognomento Theologus, (lege, Dialogus, ut supra p. 219. dictum) pronunciat, nonnullae post diremtum a corpore, fortassis etiam apud orcum detentae; non quod in igne supplicioso sint, sed velut in custodia & vinculis coërceantur. His omnibus opitulari preces eorum nomine factas dicimus, concurrente cum his divina bonitate & clementia, quae ad hujusmodi peccata plerumque connivet, eaque mox condonat, nimirum si quae ex imbecillitate humana, commissa sunt. Fuerunt haec quaestiones 12. & responsiones ad easdem latine versae a J. Leunclavio, & Basileae impressae anno 1571.*

In Concilio tridentino, ut legere est in Histor. lib. 8. * pag. 893. ex Praelatis, quibus tradita est provincia formandi decretum de purgatorio, aliqui de loco & foco purgatorii, sicuti in Concilio florentino, mentionem fieri cupiebant: alii, quod ea res non careret difficultate, nec facile negotio verba inveniri possent ad id exprimendum,

Cc 2

quae

* Pag. 893.] Vel 1371. edit. nuperae lipsiensis.

quae omnibus satisfacerent, putabant, nihil aliud dicendum, quam bona opera fidelium, mortuis ad poenarum remissionem conducere.

Erasmus operum tom. I. pag. 685. scribit: *Multa sunt, de quibus non solum dubitarunt olim homines contentiosi, verum etiam docti juxta ac pii, veluti de purgatorio diu dubitavit Augustinus: nec ille tamen solus.*

Pag. 264.) P. Picherellus (cujus singulare est elogium apud Jac. Aug. Thuanum in libro 4. Histor.) in dissertatione de Missa pag. 150. & aliquot seq. multis rom. Ecclesiae dogma de purgatorio gravissime impugnat, & purgatorio fovendo, immo ne excitando quidem, nulla in omnibus biblicorum sylvis ligna inveniri affirmat. Vixit tamen hic auctor, atque etiam mortuus est in externa romanae Ecclesiae communione.

Auctor Examinis pacifici doctrinae Hugonotorum, quem falso J. Breerleus in Apologia Protestantium pro romana Ecclesia, tractatu 2. cap. 2. sect. 14. pag. 427. versionis latinae, auctorem procul dubio protestantem fuisse asseverat, (contrarium enim ex ipsius libelli attentae lectione aperte constat: adde, quod anglus, qui e lingua gallica in anglicam transtulit, in epistola ad lectorem, virum generosum hujus libelli auctorem H. C. affirmat, usque ad extremum vitae habitum fuisse & permansisse catholico-romanum; atque hoc in Anglia plurimis optime notum fuisse) is, inquam, in fine cap. I. ita de purgatorio loquitur: *Augustinus existimavit, illud rem tantum pro-*

probabilem esse, & non necessariam; nihil aliud
dicens, quam Forſitan verum eſt. Neque etiam ipſi
inter ſe Catholici de illo convenire poſſunt.

Joh. Barnesius, anglus, monachus benedi-
ctinus, vir doctiſſimus & pacis Eccleſiae aman-
tiſſimus, quicum propterea a Romanenſibus
zelotis iniquiſſime nuper actum eſt anno 1627.
in ſuo Catholico romano-pacifico, de purga-
torio inquit: *Quia pii in Domino morientes, ſunt
beati, & requieſcunt a laboribus ſuis, & aerumnis
hujus vitae, Apoc. 14. 13. non videtur aſſeren-
dum purgatorium ullum punitorium, in quo
pii poſt obitum ignis gehennalis poenas patian-
tur; ad quas tranſeuntes, non abeunt a laboribus hu-
jus vitae ad quietem, ſed a quiete ad ſummos labo-
res. Cum tamen libri Machabaeorum approbati in
canone 84. Apoſtolorum, recepto in 6. Synodo can. 2.
orationem pro deſunctis commendent, & praxis uni-
verſalis Eccleſiae in omnibus liturgiis eam retineat,
& praeſtantiſſimi Patrum ſentiant, orari poſſe pro
exiſtentibus in caelis, (non clare videntibus ſecun-
dum ſuum videri Deum) ſufficit, cum viris doctis
aſſerere * purgatorium expiatorium, in quo ſine
tormentis gehennalibus magis magisque, usque ad diem
viſionis Dei clarae, fruenter conſortio humanitatis
Chriſti & Sanctorum, perficiunt ſe in Dei charitate per-
fervida & moroſa ſuſpiria. Haec ille, late eadem
in ſequentibus confirmans. pag. 265.) Et ſic
tandem concludit: Fateor, Auguſtinum aliquan-
do vacillaſſe de punitione in purgatorio. Lib. 21. de Civ.*

Cc 3

Dei

* Purgatorium expiatorium] Vide pag. 266.

Dei cap. 26. ait: Non redarguo, quia forsitan verum est. *Ei de Fide & Operibus cap. 16.* Non abhorret, quantum arbitror, a ratione veritatis. *Punitio ergo in purgatorio, est res in opinione humana posita, quae nec ex scripturis, nec Patribus, nec conciliis deduci potest firmiter. Immo, salvo meliori iudicio, opposita sententia eis conformior videtur.*

Archiepiscopus spalatenfis de Republ. ecclesiast. lib. 7. cap. II. n. 9. *Purgatorium nullum esse in eo sensu, in quo a nostris ponitur, arbitror, me ibi (lib. 5. cap. 8.) demonstrasse. Et moneo, articulos fidei de purgatorio & indulgentiis nullos esse, nisi novitios, perperam a nostris superinductos. Igitur per regulas a me assignatas, nulla potestas est in terris, quae illis fidei certitudinem possit addere, & consequenter nostri * non possunt juste pro haereticis illos habere, qui purgatorium & indulgentias negant: ideoque hoc nomine eos a communione ecclesiastica non possunt abjicere. Sed neque Protestantes possunt hinc tanquam haereticos damnare, & a communione sua (quantum in ipsis est) repellere Pontificios, licet & purgatorium & indulgentias mordicus retineant. In his enim procul dubio errant, sed non contra fidem. Excessus est hic, sed non defectus: neque per hos falsos articulos ulli vero articulo fidei sit injuria. Moneo tamen, non esse damnandas orationes & oblationes sacrorum mysteriorum pro defunctis: illae enim si non ex scriptura, saltem ex usu & praxi antiquis.*

* Non possunt pro haereticis,] Vide pag. 266.

tiqvissima Ecclesiae, quae ad apostolicam traditionem facile possit & soleat a sanctis Patribus revocari, suam habent defensionem; ac licet inde verum purgatorium non colligatur, colligitur tamen locus aliquis animarum, in quo peccatorum possint illae indulgentiam Ecclesiae precibus obtinere. Plura de purgatorio asserere, est magnae vanitatis & temeritatis.

Inter Protestantes Franc. Junius adversus Bellarm. de Purgatorio lib. 1. cap. 10. Cum juvari animas mortuorum cœperunt credere Patres, intellexere de adjumento in bonum: postea vero, invalescente errore purgatorii, intellexere de adjumento ad liberationem illius. Priorem sententiam toleramus, posteriorem pernegamus. (pag. 266.) Et ibidem, sect. 24. affirmat, male confundi ista duo doctrinae capita de Sanctorum requie in expectatione gloriae, malo (scilicet positivo sive poena sensus) carentium, & ad gloriam perfectam anhelantium, pro quibus orabatur prius; & de poenis purgatorialibus in eadem expectatione subeundis, pro quibus orant Pontificii. Nos, inquit, prius toleramus, posterius negamus. Haec Junii sententia Vossio probatur disput. de Orationibus & oblationibus pro defunctis, thes. ult.

P. Martyr in cap. 3. 1. ad Cor. pag. 43. facie averfa: Vidimus jam, purgatorium non esse dogma creditu necessarium; deinde, quod si opinione aut suspitione accipiatur, infirmas & debiles habet, quibus innitatur, rationes, atque pietati potius officiat, quam

eam promoveat. Quamobrem qui ipsum esse opinantur, non recte faciunt, si id credendum Ecclesiae proponant, in qua ut fidei objectum tradi non oportet, nisi ex scripturis certo ac indubitato constet.

Episcopus wintoniensis in Respons. ad card. Bellarmini Apolog. c. 8. p. 208. de purgatorio verba faciens, haec habet : *Cujus quidem in S. literis basis firmior non est, locum id habere potest inter opiniones scholae, quae non sine formidine contrarii sunt; inter fidei articulos non potest. Loco ergo suo consistat: opinio sit, ad fidem ne pertingat: ne dogma quidem ecclesiasticum habeatur.*

Sed ut considerationi huic (in qua quae forte desideras, lector erudite, ea ex aliis, qui controversiam hanc fufius pertractarunt, petenda esse memineris) finem tandem imponamus: Ad controversiam hanc tollendam, vel saltem minuendam, * Romanenses opinionem suam de purgatorio punitivo, quum nullis certis fundamentis, nec in scripturis, nec in primorum seculorum Patribus, nec in priscis conciliis, nitatur, ut supra demonstratum est, pro fidei articulo nec habeant ipsimet, neque aliis obrudant; Protestantes etiam, quibus opinio ista improbatur, & quidem jure meritoque, haereseos tamen aut impietatis aperte eandem ne damnent; sententiae vero communis Graecorum, atque etiam quorundam virorum doctorum in latina Ecclesia de purgatorio expiatorio, (quod solum purgatorii nomen proprie

* Romanenses opinionem suam.] Vide pag. 265.

prie loquendo meretur) in quo sine pœnis gehennalibus, animae sanctorum, quorum quasi media quaedam conditio est, in cœlis quidem, sed in cœlorum loco, soli Deo noto, magis magisque usque ad diem visionis Dei clarae, fruenter conspectu & consortio humanitatis Christi & sanctorum angelorum, perficiunt se in Dei charitate per fervida & morosa suspiria, ut supra pag. 64. dictum est, neutri pertinaciter oblucentur: Pag. 267.) sua enim, atque ea quidem haud exigua probalitate minime destituitur. *Mos autem orandi & offerendi pro defunctis* antiquissimus, & in universa Christi ecclesia ab ipsis ferme Apostolorum temporibus receptissimus, ne amplius a Protestantibus, ut illicitus, vel saltem ut inutilis, rejiciatur. Reverentur veteris Ecclesiae iudicium, & perpetua tot seculorum serie confirmatam praxin agnoscant, & religiose dehinc ritum hunc, licet non ut absolute necessarium, seu lege divina imperatum, ut *licitum* tamen, atque etiam *utilem*, semperque *universae Ecclesiae probatum*, cum publice tum privatim usurpent, ut orbi christiano pax tantopere omnibus vere doctis & piis exoptata tandem redeat. Faxit Deus ter. opt. maximus!

Τὸ μὲν Θεῷ δοξα.

Tertull. lib. i. contra Marcion.

Omnino res christiana sancta antiquitate stat, nec ruinosam rectius reparabitur, quam si ad originem censeatur.

Cc 5

Consi.